65

DE UTILITATE

QUAM

PHILOSOPHIAE ATTULIT

CHRISTIANA RELIGIO

ORATIO EPIDICTICA.

TARVISI

Typis Iulii Trenti et Filio. Edit.

CIↃIↃCCCXXI.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

CAROLO RAVASIO

HADRIAE EPISCOPO

CUM PRIMUM AD ECCLESIAM SIBI CREDITAM

ACCEDERET

PAROCHI CONGREGATIONIS SS. CORNELII ET CYPRIANI

DIOECESIS TARVISANAE

S

Episcopus Hadriae vix fueras designatus, cum celerrime nuntius finitimos dissitosque populos pervadens, magnam omnibus ubicumque gentium laetitiam peperit: nam simul percrebuit non dubius de tua virtute rumor ita, ut posset quisque intelligere, tantam tibi dignitatem jure ac merito deferri. Si ergo qui vix nonnulla de te ex leni quadam aura famae acceperunt, non mediocriter gavisi sunt, quod tantus tibi honos dignitasque paretur; quo nos gaudio fuisse perfusos putas, qua laetitia exultasse? quibus licuit te diu praesentem intueri, tuas propius eximias contemplari virtutes, et tibi communi muneris genere, quasi quodam sacro vinculo, conjungi. Cum igitur amplissimus honor, quo augeris atque honestaris, ad hanc

no-

nostram congregationem peculiari quodam modo pertinere videatur; qui possumus animi gestientis motus cohibere, quin nostrae aestimationis atque amoris erga te maximi significationem aliquam proferamus? Incredibilem tamen animi nostri jucunditatem, ultro jam fatemur, minuit, et quasi retundit quidam moeror, cum illud cogitamus fieri oportere, ut praesentia tua privemur, et dulcissimae consuetudinis tuae fructu careamus. Sed jam imperabimus nobismet ipsis, atque intempestivam animi aegritudinem compescemus; neque unquam fiet, ut privatam utilitatem utilitati publicae et Ecclesiae universae decori anteferamus. Vade ergo, vade quo te ducit Dei spiritus: Æcclesiam capesse, quam tibi rite sacrato regendam divina summi Pontificis tradidit auctoritas. Nos te hodie plausibus et votis usque ad solium episcopalis dignitatis prosequemur.

Jam vero ut amoris nostri atque aestimationis aliquod monumentum feras, exiguum opusculum damus, quod benignitas tua, ut confidimus, non recusabit: tibi scilicet Orationem nuncupamus, quae quidem coram Episcopo recitanda erat, (*) nec non magna, ut alias fieri solebat, literatorum virorum frequentia; quae tamen, ob diversas rerum vicissitudines, publica in luce nunquam lecta est. Cur autem Orationem hanc delegerimus, ea ratio est, quia in ea, quod ad rem qua de agitur, defensio quaedam con-

(*) Recitanda erat in aula Seminarii Episcopalis Tarvisani a Praefecto studiorum Antonio Canonico Pellizzari coram Episcopo Bernardino Marino.

contineatur, seu malis apologia, sanctissimae Religionis nostrae: atque icciroo bene Episcopo offertur, qui ab ea possit pravorum hominum injurias prohibere; quandoquidem Episcopi est sanam doctrinam tueri, et iniquorum hominum deliramenta atque argutias dissolvere: Potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. *Te jam minime latet, quae quotidie impii in purissimam Jesu Christi sponsam comminiscantur, quas criminationes, quae maledicta ingerant. Ex iis autem calumniis, quibus petulanter notare audent Ecclesiam Christi, non minima illa est, qua illud improbe affirmant:* Christi Religionem ingenia hominum ita deprimere atque obruere, ut, amissa animi vi atque alacritate, ad studia scientiarum ac optimarum artium minus apti sint, nec amplius, quae utilitati forent hominum generi, inquirere et comparare valeant. *Quid? nonne falsa atque adeo stultissima hostium accusatio facili negotio refelli posset? Etenim hoc unum satis esset, si quis ex historiis plurima virorum illorum nomina excerperet, qui in omni scientiarum artiumque genere floruerunt, quique sapientes doctissimique fuerunt ac habiti sunt, licet sanctissimis semper rectisque Ecclesiae ac Religionis legibus atque institutis optime paruerint. Hujusce tamen Orationis auctor, ne ulla adversariis cavillandi ansa relinqueretur, altius rem repetit, sed, ne longum fiat, hoc unum sibi demonstrandum proponit:* Christianam nempe Religionem multum profuisse philosophiae; *cum plurimos ex illa eosque maximos errores expulerit, mul-*

ta-

taque luce viam illustraverit, qua suis in inquisitionibus et argumentationibus incedit mens animi mortalium, adeo ut nemo, nisi volens, offendat, aut cadat. Quis porro ignorat ex philosophia, veluti ex communi fonte, latices emanasse, quibus aliae quoque artes et scientiae aluntur et adolescunt: si quidem philosophia mentis perceptiones animaeque facultates ad veri rectique normam exigat atque componat. Qui igitur in hanc rem de philosophia dicit, de aliis etiam disciplinis dixisse censendus est, cum pronum sit cuique ex iis, quae de philosophia dicuntur, ad alia quoque singillatim sermonem necessaria argumentatione transferre.

Quod vero ad nos attinet, laeti erimus, si hilari vultu, quod tibi offerimus, qualecumque sit, excipias, vel saltem voluntatem probes: id enim a nobis quasi pignoris loco habebitur, te nostri memorem futurum, et nostri erga te amoris atque observantiae, qua semper humanitatem tuam, virtutes, novumque decus colemus.

DE UTILITATE

QUAM PHILOSOPHIAE ATTULIT

CHRISTIANA RELIGIO.

ORATIO.

Si quis pervetustas literarum ac studiorum historias pervolutaverit, animumque in eas intenderit, facile intelliget, priscos illos homines non mediocrem cum in liberales artes atque humanitate dignas, tum in scientias omnes curam et studium contulisse. Nullum tamen literarum genus impensius cupidiusque illos adamasse certum est et coluisse, quam philosophiam atque eloquentiam. Cum enim magnam sibi ex his facultatibus gloriam, honores, divitias comparare se posse arbitrarentur, incredibili quodam earumdem disciplinarum amore et cupiditate flagrarunt. Quid autem in causa fuisse dicemus, quamobrem philosophia, in qua colenda, graeci praesertim homines, majori fortasse cura, quam in persequenda eloquentia elaborarunt, nunquam tamen radices egerit et convaluerit, sed nova semper, priore repudiata, philosophandi ratio probaretur: ita ut nihil firmum, nihil certum esset unquam, in quo cujusquam mens posset tuto conquiescere? oratoria autem ars in dies creverit, tantamque sibi laudem conciliaverit, ut omnis post aetas suspiceret veteres illos oratores, magnoque honore prosequeretur? Sed quid roboris, quid valetudinis inesset priscorum sapientum doctrinis, non ex ipsa rerum haustis natura, sed expressis ex lymphata sophistarum mente; qui eo magis furebant, quod remotos sapientiae fontes se comperisse vulgo credebantur?

Ora-

Oratoriae artis enimvero dissimilis est ratio; quae a natura primum profecta, exercitatione perpetuaque experientia formata est atque expolita. *Notatio naturae et animadversio peperit artem:* dixit de numero Tullius (in Oratore LX. LVI.) *qui quasi quandam palestram, et extrema lineamenta orationi attulit.* Non enim ad pompam maxime, et ostentationem comparari caepta est eloquentia, sed ut a fortunis et a capite civium pericula propulsarentur, atque ut reipublicae summa salus conservaretur: quae quidem praestare nullo pacto poterit orator, nisi ea, quae dicit, cum rerum veritate consentiant. Ex quo fit, ut recentiores e philosophis libentius sequamur; ex oratoribus vero antiquissimos imitari velimus; et Demosthenis, Æschinis, Tullii orationes, philosophicis Platonis et Tullii disputationibus, atque Aristotelis libris aestimatione atque auctoritate anteponantur.

Illud tamen mirum fortasse alicui videbitur, si eloquentiam ipsam ad summum perfectionis gradum minime evectam fuisse a veteribus illis oratoribus, licet artem ratione et via profiterentur, contendero; et non nisi postea pleniorem grandioremque evasisse, christianae scilicet Religionis munere, demonstravero; quae tantam ei vim tantamque dignitatem largita est, ut laudatissimos priscorum conatus longe superaverit. Quid? num exempla desunt, quibus rem confirmem? Unum tantum aut alterum protulisse satis erit, ut omnis ex animo dubitatio eximatur. Ecquis igitur ex antiquis oratoribus adeo permovit auditores, tantoque terrore affecit, ut perculsi omnes et quasi mente dejecti repente sedilibus exsilirent, totumque singultibus locum, atque ejulatibus complerent, quemadmodum, Massilone in Galliis summo oratore dicente, traditur contigisse? Satis erat antiquis illis si motus quosdam in audientium animis excitaret orator, quibus eos in suam sententiam inclinaret: tantam vero vim tantamque in ipsos animos dominationem nec detulerunt eloquentiae, nec ab ea sumi posse judicaverunt. Chrysostomi etiam enituit ac triumphavit singularis quaedam ac pene divina dicendi facultas, tum, cum populus Byzantinus fureret exaspe-

ratus

ratus in Eutropium, qui eo in templo perfugium ac salutem quaerebat, quod suis ipse fere manibus exciderat, quippe qui auctor extitisset communis et templi et populi luctus et moeroris. Tanta enim eloquentiae vi conceptum in illum omnium odium iramque restinxit, ut in quem prius ab Imperatore quisque animadverti plauderet, mox sceleris ac perfidiae paenas daturum; mutata jam voluntate, eundem commiseresceret, atque hominis casum calamitatemque dolens et collacrymans deprecaretur. Eo jam res adducta erat, ut non artes rhetorum, non praecepta, non topica omnia, tam incredibilem animorum conversionem praestitissent, nisi christiana Religio alios fontes locosque alios aperuisset, quibus eloquentiae facultas augeretur, dilatatisque ejus finibus, ut ita dicam, ampliori dignitate et potestate humanis mentibus imperitaret. Imo illud affirmare non dubitaverim, quod pridem ostendere recens auctor aggressus est, artes omnes, omnesque scientias a christiana fuisse Religione auctas, cumulateque ditatas. Ego ut brevitati consulam, hoc unum hodierna luce mihi demonstrandum suscipio: *Religionem christianam multum profuisse philosophiae*. Insigniores igitur veterum philosophorum opiniones mihi sunt, et doctrinae altius repetendae, cum pene infinitum foret si vellem singulas persequi. Rem aggredior consessu vestro dignam et sapientia, A. H. dignam hoc praeclarissimo loco et ad dicendum ornatissimo, quae non philosophiam modo, sed artes omnes et scientias honestet, ipsamque Religionem exornet. Verum rei ipsius me terret dignitas, quae oratorem postularet, qui et ingenio valeret, et exercitatione, quae in me sentio quam sint exigua: sed recreat me benignitas tua, P. A. qui me omni semper benevolentiae genere fovere consuevisti, quam mihi nunc pro studiorum laude, quae in hoc Musarum domicilio auspice Te coluntur, peroranti, spero, non defuturam. Vos quoque, oro, dicenti aspirate, A. H. in quem non semel alias patientiam et studium, in literas autem et scientias voluntatem et favorem praeclarissime ostendistis.

Scientiae omnes illud in primis commune habent, ut

ex principiis unicuique earum propriis id, quod latet, densisque adhuc tenebris obruitur, detegant; atque ab his, quae studio subtilique indagatione eruerint, alia subinde atque alia argumentatione derivent necessaria. Itaque cum in unaquaque scientia unum ab alio pendeat, sintque adeo cuncta inter se nexa et colligata, arctissimeque cohaereant; si quod alicubi vitium sit, in caeteras quoque partes serpat necesse est, totamque disciplinam inficiat ac labefactet. *Teneamus illud necesse est,* ut ipse Tullius testatur (de Fin. IV. XXIV.) *cum consequens aliquod falsum sit, illud, cujus id consequens sit, non posse esse verum.* Etenim quidquid ex notionibus, aut propositis falsis, vel perperam definitis, collegeris, vitio aliquo laborabit. Nonne id ipsum in arboribus evenire docent cultores, si forte ex radicibus aliqua putrescat? Tunc enim qui imminent rami, in quos ex illa influit succus, macie conficiuntur, arescunt frondes, et si quos fuderint fructus, flaccescunt evanidi. Quare Baconem de Verulamio virum doctissimum sapientissimumque nemo satis laudaverit, qui, cum in philosophicis disciplinis Principia seu ἀξιώματα, quae scientiae sunt quaedam quasi radices, arida vel corrupta esse intellixisset; remedium illis prius adhibendum censuit, quam temere ex illis novi aliquid cogere niteretur; conciliandam prius sanationem, quam probi aliquid expectare liceret. Nulla sane melius via de scientiis docti homines meriti sunt, quam si aliquod placitum aut falsum refutarunt, aut demonstrarunt verum: utilius enim fuerit nescire, quam pro veris falsa complecti. Namque quid optabilius, quid opportunius homini inter offusas tenebras ambulanti esse potest, quam ut ipsum aliquis, sicubi offendicula, vel insidiae paratae sint, commonefaciat, iterque planum tutumque commonstret? Propterea magna Baconi, magna Lokio, magna Gallilaeo nostro, magna nonnullis aliis praestantissimis viris habenda gratia est, qui, quidquid esset in philosophia dubium, vel falsum, quodque errandi causam praeberet; aut omnino dispulerunt, aut inter incerta amandandum curarunt. Purgato autem a latronibus itinere, ut ita

di-

dicam, atque ab errorum monstris, quae subito quasi ex insidiis praetergredientes adoriuntur, doctoribus nos illis ultro tradamus, qui breviorem facilioremque viam docent; qui nos, regionum ipsi peritissimi, quam petimus domum recta deducant. At vero sicut ex praejudicata opinione, quae cum falsa sit, habetur vera, ad alias ejusdem modi conclusiones argumentatione devenitur, atque ex uno multi errores prodeunt; eodem ferme pacto ex novo aliquo invento, quod sit veritate subnixum, videre est totas scientias refici, ac latissime amplificari. Quid? ex uno aeris pondere, quod argute solerterque detexit Torricellius, quanta in physicis renovatio facta est! quam hujus mutata facies disciplinae! Caelestium corporum ellipses, quas illa cursu peragunt, quosque inita subductaque ratione dimensus est Newtonus; tum leges motus in illis ab eodem deprehensae ac notatae, nec non materiae attractio; quantam lucem quantamque utilitatem Astronomiae attulerint universae, nemo est qui nesciat. Etenim ex angusta caecaque antiquorum custodia tandem aliquando educta in apertas caeli ac lucidas plagas, hodie dignitatis suae atque originis gloria illustratur. Quid Gallilaeum memorem, qui pene innumeris, iisque insignibus additamentis philosophicas disciplinas locupletavit? qui novas methodos, novasque ab integro scientias, praesertim de corporum gravitate, de motibus, de eorum legibus condidit? Quid Pythagorae de hypothenusa demonstrationem, quae non modo geometriam, sed universam fere mathesin ingressa, ubique magno est usui? Illud igitur teneamus, qui vel opinionum fallacias atque errorum dolos discutit, vel novi aliquid ex ipsis naturae latebris, atque ex veritatis penetralibus eruit ac profert in lucem, eum disciplinarum studiis optime sapienterque consulere. Id autem qui fieri potest, ubi nullae suppetant vires, atque omnis intercludatur via, qua ad hoc persequendum perveniatur? non hominis quidem, sed caelestis intelligentiae singulare munus esse videtur. Quis enimvero philosophorum antiquorum, antequam christianae Religionis lumen exoriretur, quis, inquam, rem tantam praestare potuisset? Unius,

esto,

esto, vel alterius ex illis opera et labor laudetur: sed quanti, per vestram fidem, aestimandus est, si cum illa caelesti divinaque sapientia, quam terris intulit christiana Religio, comparetur? Haec una priscos errores humanae menti insitos atque innatos fregit ac profligavit: haec uberes purosque fontes aperuit: haec saluberrimos sapientiae latices humano generi propinavit: haec mentes mortalium jacentes excitavit, erexit, communivit. Quam recte igitur auctor quidam doctissimus eam cultori comparat, qui, ut agri solum liberet ac purget, proceras arbores funditus evertit, vepres et dumeta evellit: quo fit, ut ubi prius serpentes latibula, ferae cubilia quaerebant, jam nunc laeta seges proveniat, et pro exantlato labore magna praemia rependat.

Jam vero de veterum philosophia cogitanti mihi, atque in omnem eorum literariam supellectilem animum intendenti, visum est, non modo illos nativam veritatis faciem minime fuisse contemplatos; sed ancipiti formarum specie deceptos, quid verum esset, quid falsum, caecutientibus oculis ne internoscere quidem potuisse. Etenim aliud fuit Protagorae judicium veritatis, aliud Epicuri, aliud Cyrenaicorum, Platonis, caeterorumque philosophorum; praeter quam quod Sceptici, qui de omnibus dubitarent, omnem veritatis notam sustulerunt. Praeterea ignorare neminem puto, quid de hac ipsi rerum universitate, quae fere corporibus et motu constat; quid de hominum animis, quid de moribus, quid de divinitate, quid de universa denique philosophia (cujus est, ut docet Cicero (Off. l. II. v. II.) investigare ac perscrutari res divinas atque humanas, earumque causas) senserint ac pronuntiaverint. Neque enim falsam accusationem intentamus, sed scripta eorum, tanquam syngrapham ab ipsis signatam, in jus proferimus, ex eaque agimus, quo judicum sententia obligentur.

Et primo quidem, num de mundo, de corporibus, de materia, de elementis recte judicaverint, qui unde ista extitissent, prorsus ignorabant? Aeternum esse mundum nonnulli autumabant, alii contra ab atomorum concursionibus atque ad-

adhaesitationibus conflatum contendebant, alii vero ex aeterna quidem materia, sed praepotenti cujusdam divinae mentis consilio digestum atque ordinatum. Quid memorem Thaletis aquam, ex qua omnia constent? quid Anaximenis infinitum aera? quid illud unum Xenophanis? quid Stratonis pondera et motus? quid, uno verbo, aliorum physicorum aniles fabellas et somnia? Itaque, cum de occultis rebus et reconditis, quarum principes causas ac finem ignorabant, temere philosophi disputarent; si quis exinde secus, ac alii dixissent, fuisset opinatus, mutabatur sane saepissime error; nunquam tamen veritas erumpebat: tantoque faedius ac turpius effutiebant, alucinabantur, quo rectius quam caeteros se audacter confiderent quacumque de re proposita judicaturos. Sed cum in admirabilem mundi fabricam oculos convertissent, ac terram, aquas, aerem, stellas, caetera certis vidissent legibus amice inter se consociata, ut ad unum aliquid omnia referrentur; tum temporum vicissitudines, statasque caelorum conversiones perspexissent, quibus plantae, arbores, animantia nascuntur et conservantur; non potuerunt e philosophis non pauci consilium et prudentiam Conditoris, tum vel ipsam tanti operis causam, non suspicari atque agnoscere. Verumtamen, cum et multa loco ac tempore definitis, multa nec opinato fieri animadvertissent, illa quidem Fato, haec autem Casui vel Fortunae tribuerunt: ineptas videlicet causas potius comminisci, quam causarum atque effectuum ignorationem profiteri maluerunt. Verum enimvero quid honesto homini turpius, quid indignius philosopho, qui veritatem vel ipso nomine se diligere ac sequi promittit, quid, inquam, indignius esse potest, quam, quarum rerum causas nesciat, earum effectionem pro lubitu excogitare, atque hujusmodi assignare rebus, quae non modo hominis ignorantiam, sed et temeritatem atque impudentiam patefaciant? Mirabile dictu! quas in angustias, quae in dumeta, quos in tortuosos anfractus inciderint veteres illi sapientes cum de Fato sermonem haberent; quorum hi quidem Fato omnia fieri dicebant, firma scilicet atque aeterna necessitate ex causis antegressis: illi vero, ne

ani-

animorum motus voluntarii tollerentur, non omnia fieri Fato contra disceptabant. Sed Stoicorum aeque atque Academicorum, nec non et Chrysippi, qui tanquam arbiter honorarius inter utrumque extremum ferire medium voluit, improbanda est ratio, cum omnes quam maxime a vero dissentiant. Quidni? si omnia aeterna et fatali necessitate reguntur, non vitia erunt, non peccata, non virtutes, non bene facta. Tollentur leges: quid enim jubeant aut vetent, quae necessario sint futura? Nemo igitur laudem, nemo vituperationem, nemo paenas, nemo praemia promerebit. Nonne igitur Fati patroni divina atque humana miscent, susque deque habent? Nonne dementis, imo vero impii foret, hujusmodi vim fatalem, seu *εἱμαρμένην*, ut appellant Graeci, defendere?

Sed neque ii melius, qui non omnia Fato fieri dicunt: Etenim cum Academiae patrius mos esset adversari semper omnibus in disputando, licet humanam voluntatem, perceptiones, assensiones, actionesque ab ineluctabili necessitate asserere viderentur, ita tamen disserebant, ut se falli posse minime pertimescerent, quippe quos non appulsus veritatis, non admota mentibus ejusdem lineamenta; sed quidam facundiae, sed ingenii, sed gloriolae, sed certaminis amor ad umbratilem pugnam, concertationesque perduceret. Sed veri aliquam similitudinem nonnulli perspexerint: esto. Quid tum? quibus rationibus poterunt tantam quaestionem disceptationemque dirimere? quibus argumentis et sibimetipsis facere satis, et victos jam adversarios in propriam sententiam datis manibus compellere? Quid namque Epicuro ad dissolvendum Fatum argumenti ac rationis occurrit? nihil quidem certe, nisi ut parvam atomis e regione cadentibus declinationem adderet. Cum enim per inane descendentibus atomis motum tantummodo ad lineam concessisset Democritus; ex aeternis causis atque adeo immutabili necessitate eae ferri videbantur; cumque animis non nisi ex atomorum impulsibus ex utriusque sententia ullus insit motus; ut voluntarios animorum motus servaret ac tueretur, declinationem hanc minimo intervallo, *ἐλάχιστον*, ut ait, commentus est. Sed ut essent atomi, quas

qui-

quidem esse mihi, inquit Cicero, probari nullo modo potest, quis non videt sine causa hujusmodi declinationem induci?

Age vero, qui non omnia Fato evenire contendebant, num Fatum omnino negabant? num libertati tantummodo animorum prospiciebant? Annon multa potius ex Fati ipsius vi ac necessitate quodammodo surripiebant, quae casui, quae fortunae, quae temeritati permitterent?

Praeterea libertatis humanae quae ista defensio est? Quod multa in nostra esse potestate dicant, optime quidem dicunt. Quod autem causas probent antegressas, quamvis non principales, ut ajunt, nec perfectas, at adjuvantes et proximas, animorum motus, quos esse voluntarios volebant, quosque decebat libertate gaudere non imminuta, causarum vinculis, velint nolint, atque impulsione devinciunt. Cylindri enim volubilitas minime exereretur (hoc quippe utitur exemplo Chrysippus) nisi ab externa prius causa protruderetur: qua praegressa et cylindrus volvitur, et turbo versatur. Hanc vero quis libertatem appellet? quae se ipsa movere non potest, sed motum necesse est accipiat alienum? Fac mentem colloces inter momenta ejusdem ponderis: quam in partem inclinabit? cui se applicabit? Suspensa ergo atque immota, veluti bilanx aequis hinc inde ponderibus, permanebit. Itane vero? Quis non videat humanae mentis hoc modo libertati pessime consultum iri? Atque ex hoc fonte, credo, ut brevi dicam, deprompsit Leibnitius principium illud rationis sufficientis, uti vocant, quod Wolfio in deliciis erat, quod multas excitavit turbas ac lites: de quo quid judicandum sit non multis ab hinc annis a Danielio amico meo, acris ingenii viro, fuit scite luculenterque demonstratum.

Cum igitur in hujusmodi controversiis ac disputationibus philosophorum veterum mentes non mediocriter elaboraverint; cum sectae omnes, scholae, gymnasia, multum temporis in hisce tractandis cogitandisque contriverint, quid tandem, per vestram fidem, constitutum fuit ac definitum? quid inventum, quo discrepantes opiniones una coirent; ita

ut

ut eruta post tot tantosque labores veritate, lites ac jurgia conquiescerent? Nonne post infinitas concertationes et pugnas, post toties repetita sublimium ingeniorum scripta, aliis alia opinantibus, tantum abfuit ut aliquid profecerint, ut potius a veritatis tramite errabundi, atque oculis capti, longius deducerentur? Nam in diversa cunctis abeuntibus, etiamsi aliquid minus falsum, aut vero propinquum forte quis attulisset; multitudine viarum locorumque obscuritate, ut ita dicam, deceptus unusquisque, cum certi nihil haberet, nec a vero falsum ulla certa nota internosceret; perpetuis detinebatur ambagibus et maeandris. Ac veluti qui daedalea inclusi essent domo, modo hac, modo illac vagabantur per inextricabiles viarum fallacias: siquidem nihil erat, quo caeca regerent vestigia, seseque tot anfractibus expedirent. Quis igitur dubiis tandem implicatisque filum, Ariadnam imitatus, porrigat ac tendat, quo relecto inde incertum efferant pedem? Quis eos in apertum ducat, atque in ipsius solis conspectu constituat?

Haec tandem est, haec illa philosophia, quam tantopere venditabant? haec illa sapientia, quae divinas humanasque res anquireret ac doceret? quae laudata a Tullio cumulatissime, utpote quae mortalium vitam beatam sola faceret, cunctis artibus ac scientiis anteferretur? Sed apud auditores recte sancteque institutos, omnique religionis atque humanitatis laude ornatissimos loquenti, nihil opus est philosophorum antiquorum non jam levitatem atque inscitiam, sed somnia, sed flagitia refellere, cum et iidem ipsi, quandoquidem contrarias sententias tuerentur, multa alii cum aliis expostularent. Etenim: *cogimur dissensione sapientum dominum nostrum ignorare* (queritur Tullius, Academ. l. IV. c. IXL.) *quippe qui nesciamus soli, an aetheri serviamus.* Cleanthis enim et Zenonis discordes retulerat de summo Deo sententias. *Nae ista gloriosa sapientia non magno aestimanda est,* cum eodem Tullio dicam (Tusc. l. III. c. IV.) *siquidem non multum differt ab insania.*

Quid vero? Qui lucidissimum aethera, qui solem, qui stel-

stellas errantes inerrantesque, caeterosque caeli ignes, qui denique naturam ipsam in deorum immortalium numero, ut ajebant, collocarent; nonne turpiter impieque faciebant, cum res corporeas finitas caducas deos arbitrarentur? Natura vero quid est aliud, quam ordo rerum omnium, quo universi hujus machina temperatur, movetur et constat? Quae res, cum unaquaeque propriam insitamque vim habeat, complexae inter se et consociatae admirabilem hunc mundi quasi concentum perficiunt. Quis autem tam demens et excors inveniri potest, qui cum viderit Archimedis sphaeram caelestium corporum motus imitantem; vel solarium aliquod, vel aliam quamvis machinam excogitatam effectamque sollertius, ipso in opere mentem ac rationem inesse putet, non vero in artifice, cujus manu illud compactum fuit atque elaboratum? Jam vero cum tam multae tamque discrepantes fuissent philosophorum de divinitate sententiae, quam ex illis caeteri homines probarent, quem auctorem sequerentur, cui se denique instituendos traderent? Nam post tot ac tantas disputationes, post acres accuratasque concertationes, Deum certo ac recte minime intellexerunt; sed vanis irritisque mentis visis decepti atque illusi (licet in humanis rebus ac disciplinis non mediocrem sibi laudem pepererint, ita ut sapientes vulgo appellarentur) praeclare caecutierunt non secus atque intra cimmerios fines constituti. Quid vero, si unus aut alter ex illis, ut supra dixi, quaedam veritati propiora attigisset? quid, inquam, caeteris philosophis, quid multitudini profuisset? Cum non consulto, sed casu, atque aliud agentes illa funderent, aliorum videlicet opinioni volentes contraria patrocinari; cum interim iidem ipsi reliquis omnibus, qui eunt in alia omnia, desipere atque insanire viderentur? Has porro de divinitate futiles commentitiasque opiniones quae religio, quae pietas consecuta est? Nempe ea, quae talibus diis fuisset accommodata: ut iis quidem, qui vel non esse deos, vel monogrammos nihil agere, nec nostra curare arbitrarentur, nulla esset religio, nulla pietas; iis vero, qui et esse deos, et nostri esse sollicitos, et a nobis colendos prae-

dica-

dicarent, non jam religio esset, sed religionis larva quaedam aut propudiosa, aut perridicula: de quibus quaeri poterat an risum inter se tenere potuissent, quod de haruspicibus ajebat Cato, mirari se, quod non rideret haruspex haruspicem si vidisset.

Illuxit tandem exoptatissimus dies, quo mortalibus aegris apparuit Dei ipsius sapientia, quae, ut illorum mentibus opem ferret, plurima divinitatis arcana resignavit. Quo quidem factum est, ut ea, quae antea sensibus ac menti essent impervia, quae penitus abstrusa, caeca nocte jacerent obruta ac sepulta, nova hac luce irradiata patescerent. Hoc autem ita dico, non quasi voluerit Salvator noster, qui caelestis philosophiae documenta tradidit, hujus quoque philosophiae nostrae fines protendere; sed illud profecto teneo accurateque defendo, multa, quae certa docet christiana Religio, redundasse in ipsam philosophiam, quibus et non pauca e suis enuntiatis facile mutaret, et ad nova invenienda instrueretur. Enimvero cum sit idem Deus tum universi hujus, tum Religionis auctor, qui sibi in nullo contrarius esse potest; quis non videt, vera esse non posse hominum commenta, si veris ac perspicuis Dei ipsius dictis adversentur? Et revera, quae olim disserebant philosophi, qua tandem auctoritate fulciebantur? quo praede, ut ita dicam, transigebantur? Nonne verum quisque se assequutum gloriabatur, cum singuli maxime disjuncta et contraria professi superbe magnaque temeritate inter se se digladiarentur?

Jam porro quid maxime fuisse in causa censetis, Auditores, quamobrem ii, qui habebantur sapientes, tam longe a veritate abhorrerent? Quid? an dubitatis? Nonne ex una Dei ignoratione in devia ac praerupta agi oportet, quos semel de recto tramite innati cuique erroris impulsus deturbaverit? Veluti si cui nocte intempesta, desertis ignotisque locis iter facienti, latronum terror aut ferarum incursus, aut quaevis alia vis animum perculerit ac fregerit; ipse jam de via deductus, per saltus inaccessos, per asperas cautes, horrendasque specus trepidans fugiensque pererret. Et re quidem

vera

vera cum Dei ipsius naturam, bonitatem, scientiam, potentiam minime noscerent, ex quo cuncta effecta sunt, atque ita ordinata, ut nihil potius, quam virtutem Conditoris voluntatemque prodant; quid miremur in magna illos rerum ipsarum ignoratione versari? Propterea factum est, ut cum male de rerum natura sentirent, quippe qui neque rerum ipsarum originem, neque modum, neque finem assequerentur, neque causas effectis, effecta causis aptare commode valerent; in tantam amentiam ac desperationem prolapsi sunt, ut, mundo varias veluti in provincias distributo, cuique parti numen aliquod praeficerent. Hinc Jovi caelum, Plutoni tartara, mare Neptuno regnanda tradiderunt. Hinc montes, sylvae, flumina ignotis paruere numinibus, totusque orbis diis ac deabus innumeris refertus est. Et quibus diis! iis videlicet, qui invidia, amore atque odio permoverentur; quorum inter se pugnae, fraudes et vitia recenserentur, ac ludibrio haberentur. Num fingo? num mentior? Vulcani aurea catena cui parata erat? nonne Marti et Veneri? Ecquis Danaes turrim ignorat, Daphnes fugam, impurissimos Jovis ignes? quis furta Mercurii? quis aliorum deorum probra? Poetica nimirum sunt haec, et vulgi fabulae. Esto. Sed tamen philosophi vix melius de divinitate judicavere, cum vel non esse Deos contenderint, vel nihil de hominibus, deque universi gubernatione sollicitos, vel tandem imbecillos, Fato obnoxios, et quasi precaria potestate donatos effinxerint. Plurimas equidem et Chrysostomi sententias in hanc rem afferre possem, cum saepe ipse philosophos externos docte ac sapienter exagitet, atque eorum errores et insaniam vel salse vellicet, vel serio graviterque refutet. Unum sed enim ejus testimonium accipite, ne forte tanti viri mentio frustra huc injecta videatur. Οἱ δὲ ἐξ ἐθνῶν . . . . ἀεὶ τοῖς τῶν παραπαιόντων ἐνστρεφόμενοι μύθοις· τοῦτο γὰρ ἡ ἔξωθεν φιλοσοφία· καὶ ποιητῶν λήρους ἀνελίττοντες, καὶ ξύλοις καὶ λίθοις προσηλωμένοι, καὶ οὔτε δογμάτων οὔτε πολιτείας ἕνεκεν εἰδότες τι χρηστὸν καὶ ὑγιές. (ὁμιλία Θ'. εἰς Ἰωάννην) Nunc illud mihi jure sumendum puto, non posse Dei naturam illos assequi

(nisi

(nisi Dei ipsius dono), qui de universi hujus constitutione et gubernatione perverse philosophentur; quemadmodum e contra, qui male ac perperam de Deo cogitent, de rebus ipsis recte judicare. Quid istuc rei est? Potest quilibet artis peritus ex colorum temperatione, ex linearum ductu, ex eminentiis atque umbris, ex universa denique picturae ratione opificem conjicere, et quasi digito commonstrare; philosophus vero, cum mundi fabricam tanto studio contempletur, ejus auctorem cognoscere, et ab ipsis divinae manus vestigiis et notis in unaquaque re, atque adeo in universo mundi ordine extantibus, si eas modo percipiat, divinitatis naturam haurire non poterit?

Verum quo tandem evasit oratio mea? Cur philosophos in invidiam adduco, quod mancam ineptamque de Deo notionem ex hujus mundi spectaculo sibi ipsi deprompserint, deceptique aliis tradiderint? Non enim illis culpae magna ex parte vertendum, si, quod nulli mortalium licuisset, minime sint assecuti. Etenim ob primi hominis defectionem nimis ab illo abscesserat Deus: tum homo ipse extemplo debilitatus usquequaque ac deminutus, vix mentis viribus et sensuum renuntiatione, Deum esse conjicere poterat; nedum ejusdem naturam majestatemque complecti. Philosophi enimvero quid reliqui fecerunt, quas non tentarunt vias, ut tantam quaestionem dirimerent? ut percepta tandem cognitaque divinitatis natura ab gravissima laeti disceptatione, atque altercatione conquiescerent? Sed nisi e caelo lux vera affulsisset, terris adhuc atra incubaret nox: nosque ipsos error (miserabile dictu) devios traduceret. O igitur terque quaterque beati, quibus caelestis Religio divinitatis pandit penetralia, dispulsisque inanibus commentitiorum deorum fabulis, unum mundi opificem ac rectorem ostendit! Hinc Dei infinitatem, sapientiam, bonitatem, libertatem, perfectamque omnimodis naturam homines probe didicerunt: hinc sine ulla ambiguitate cunctis notum fuit, illum, cum jam nihil esset usquam, quando libuit ex innumerabilitate mundorum hunc, quem spectamus atque incolimus, effecisse: non quod omnium esset per-

perfectissimus, quemadmodum perperam arbitratus est Leibnitius, ejusque asseclae, nec non quidam etiam ex antiquis, sed quod suae aptius voluntati responderet. Quo quidem factum est, ut temperatus appellaretur a Riccato nostro, quippe qui ab utroque extremo se retrahat, atque in media quasi temperatione consistat. Hinc denique Casus Fortunaeque temeritas exulavit: hinc Fati vis et dominatio eversa est, atque omnia sui opificis imperio paruere. Quanta tunc mortalibus lux veritatis oborta! Quot quantisque erroribus interclusa via est! qui jam pridem in causa fuerant, quo minus philosophi causarum seriem rerumque naturam introspicerent. Sublata enim tot deorum multitudine, qui vel pugnare saepe inter se crederentur, rerumque cursum intervertere, atque omnia miscere, illud tandem intelligere potuerunt, quod in contemplatione naturae permagni refert, nihil esse vagum, nihil solitarium, nihil inordinatum; sed in unum singula amice conspirare, universumque opus unius esse consilii, uniusque imperium testari. Quod si Angeli libertate donati, si vel ipsi homines, hoc ipso libertatis tam singulari Dei munere abuti ausi sunt; non Deo tamen ipsius leges pervertere, rerumque praefinitum ordinem perturbare valuerunt; cum omnia ipse ita praeviderit, ut ex necessariis non minus, quam ex liberis causis, universi hujus effectionem contexeret. Christianae igitur Religioni acceptum referatur, si de Dei natura recta sentiant homines, si ejus finem in mundi aedificatione, voluntatemque percipiant; si denique miserandam conditionis humanae causam praeclare pernoscant. His itaque indubiis principiis subnixi homines, iisque quasi quibusdam cancellis, ac repagulis circumscripti, ne ultra veritatis terminos procurrant, multa insuper alia scitu digna, eaque verissima, argumentando conficiunt, atque ita scientiam non modo theologicam, sed etiam physicam, et metaphysicam amplificant et locupletant. Comparate, quaeso, quae de hominum genere falsa et perridicula perveteres illi sapientes commenti sunt, quae de rerum universitate atque ordine, deque mundi gubernatione contente disputaverunt, cum iis, quae de rebus iisdem nostri dicunt:

cogno-

cognoscetis profecto illos tenebris, nostros vero caelesti lumine fuisse perfusos. Sed quid illi facerent? quid occultis de rebus judicarent? num caecus iter monstrare potest? Enimvero si in rudis cujusdam agrestisque hominis manus machina illa perveniat, qua nos horas computamus, num dissimiles partium figuras, variosque singularum motus, ordinem magnitudinemque intelligere posse illum putatis, recteque de opificis opere judicare, cum finem prorsus ignoret atque usum?

De legibus porro quid dicam? de illa videlicet recta ratione imperandi atque prohibendi, in qua tradenda priscorum philosophorum coryphaei plurimi claruere? Cui non auditus Solon? cui non Licurgus, Draco, Zaleucus, Charondas? cui non Plato? cui non Senatus Populusque Romanus, quos tanta fuisse sapientia in jure constituendo dicit apud Ciceronem Crassus, quanta fuerunt in tantis opibus imperii comparandis? Multa, non inficiamur, cum experientia, tum ipsa ratione praeeunte, ac duce, bene commodeque fuisse ab iis constituta, quibus non privatorum modo res, sed et rerum publicarum negotia regerentur; nec non lascivientium morum licentia atque impetus cohiberetur; nihilo tamen secius innumera in iisdem legibus invenire est digna sane quae emendes, vel penitus tollas: neque enim tanta rogabantur prudentia, nec tanta vigebant religione ac sanctitate, ut omnes peccandi aditus intercluderent, hominumque facinorosorum fraudes astusque compescerent. Ad primam illam aeternamque legem, quae in Dei mente est, quaeque fuit hominis in mente veluti insculpta, cum plebiscita, tum principum jussa exigenda esse optime judicat Tullius, ab eaque repetendos populorum mores et instituta, tum privatorum jura, cum nulla alia suppetat norma, qua justum ab injuria, rectum a pravo, honestum a turpi secernatur. At vero de aeterna lege, deque hominum moribus quo pacto disserant ii, quibus Dei voluntas ignota est, hominumque conditio? Instituta porro Platonis, ab eoque excogitatam rempublicam quis vestrum probet? In Solonis, Licurgi, caeterorumque legibus et scitis nonne occurrunt multa, quae vellices, reprehendas?

quae

quae censoria notes animadversione? Sed verba non faciam longius, ne in certis apertisque rebus haereat mea et commoretur oratio.

Ad illas potius leges nosmet convertamus, quas christiana fixit Religio. Num inde demendum aliquid, vel eo addendum quis putet? Cum illi ipsi, qui nihil intentatum reliquerunt, quo christianae reipublicae negotium facesserent, eamque immaniter quaterent ac divexarent, quique odio inflammati ac furore bellum toties infensissimum instauraverunt, non modo in sanctissimas leges invehi non ausi sunt, sed ne potuerunt quidem quin vel inviti laudibus eas, et commendatione prosequerentur? Jamvero cum coelesti hac lege, quae una in hominum naturam apte convenit, vitia inter et virtutes veri fines figantur, pronum subinde principibus viris, rebusque publicis fuit meliora decernere, aequitatisque jura contueri. Tum vero doctis viris munita via fuit, qua tuto pergant, et rectius de legibus uberiusque philosophentur. Et sane Grotius, Puffendorfius, aliique neque tam bene de jure naturae, de jure civili, et gentium scripsissent, si defuisset illis perfectissimum exemplar; neque laberentur aliquando, si ad illud sua melius cogitata exegissent. Sed nondum dico quantum adjumenti christiana Religio, quantum sanitatis, ut ita dicam, philosophiae attulerit universae, utpote quae singulas ejus partes foverit atque illustrarit. Haec Fortunae temeritatem ab eventis, atque ab naturae studio seclusit: haec Fati vim perfregit, necessitatisque clavos refixit: haec denique veritatis indicia praebuit, quae sanae mentis rationi, quae rerum proprietatibus, quae naturae ipsi maxime essent consentanea. Enimvero quam philosophandi rationem mihi dabitis (atque in hoc vos vos ipsos appello, Auditores, vos consulo viros omni humanitate ac literis optimisque disciplinis excultos) quam mihi dabitis aliam ab ea, quae rerum singularum proprietates, ac naturam rite diligenterque perquirit, atque universarum connexionem, et quasi concentum, experientia et meditatione perscrutatur? quo uniuscujusque rei οὐσίαν, vimque cognoscas, tum autem universi

totius

totius ordinem, rationemque complectaris? Non enim philosophi, imo nec hominis esset, ea, quae quotidie in hoc mundo fiunt, quae nascuntur, vel intereunt, moventur, mutantur, non idoneis verisque assignare causis, sed opinionum commentis, futilibus rationibus divinando obscurare cuncta, insciteque pervertere. Quis tanto malo occurrere potuisset, nisi qui advenit superne ut morbo gravissimo mederetur, insaniamque depelleret? sapientia enim prima est stultitia caruisse. Tunc vero explosa fortuitorum eventuum praevisione, fugatisque astrologis, magis, hariolis, totoque divinorum genere et Chaldaeorum, certo innotuit res singulas creatoris obtemperare jussis, nihilque esse, aut moveri absque ejus imperio: nihil fortuito, sed praestituta evenire necessitate. Non jam quod Fatum seu *εἱμαρμένην*, ut Graeci vocant, probemus, cui Deum ipsum Stoici obnoxium affirmant; cum illud in compertis habeamus, initio Deum cuncta libere constituisse, nihilque esse, quod ejus voluntati parere detrectet. Quaecumque autem fiunt, ex praegressis causis arcta inter se conjunctione copulatis, ita gignuntur, ut ille tantum in longa tempora futuros effectus praenoscat, qui causarum omnium seriem, vim, complexionem teneat, totamque mundi machinam mente complectatur atque introspiciat. Quae igitur statis legibus rituque immutabili conficiuntur posse homines praenoscere, ultro libenterque damus: lunae defectus aut solis, cursumque siderum praefinire: cometarum praenuntiare reditum; sed si quis ea quoque se praedicturum polliceatur, quae ex praesentibus rebus non possint causarum continuatione deduci ac derivari; eum nos conceptis verbis pejerare arguemus. Quod autem omnia immota necessitate fieri dixi, non ita intelligi volo, quasi aeternus ille mundi artifex, quas fixit leges, si velit, sistere, aut intermittere minime valeat: cum in iis, quae miracula vocantur, nonnumquam factum fuisse non est ex vobis qui dubitet.

Sed neque timor cuiquam oboriatur, si quidem cuncta necessitate gerantur, actum jam fore de hominis libertate; namque vis nulla infertur humanae menti, licet pro omnimoda

moda immensitate praescierit Deus quidquid esset homo facturus; ejusque liberas actiones cum caeteris rei cujusque haud liberis motibus ita composuerit, ut ex omnibus invicem copulatis et contextis, ordinatissimum mundi tenorem cursumque concinnarit. Quae cum ita sint, nulla est causa, quamobrem admiremur, priscos illos sapientes in hujusmodi rebus caecutisse, et fuisse allucinatos, quamvis propiora quaedam attigerint et notaverint, quae ex intima minus pendent philosophia; cum caetera, quae sunt reconditiora, ex una christiana Religione doceri potuissent. Hoc igitur statuamus, illum, qui multo ante tempore futura praenoscat, quae praesentibus causis minime conjuncta atque apta videantur, illum, inquam, aut Deum esse, aut non nisi Deo auctore didicisse.

Intelligo, Auditores, me in tanta rerum copia non posse cuncta persequi, quod esset prope infinitum: de finibus tamen bonorum et malorum brevi mihi dicendum arbitror, ne maximi momenti argumentum silentio praeteream. Quanta veteres de hoc philosophi disseruerunt? quas habuerunt contentiones? cum scholae fere omnes in diversa abirent, magnoque inter se intervallo dissiderent? Iam mitto Epicureos, qui summum bonum in corporis sensuumque voluptate posuerunt: nihil enim moror infames hortulos, turpissimumque gregem; cum ejusmodi hominum natio non modo ad philosophiae sectatores adscribenda non sit, sed potius inter brutorum agmina amandanda videatur. Mitto etiam caeteros, quorum sententiae nullo negotio refelluntur. Stoicos potius arcessamus atque Academicos, non ut eorum dissidia componamus, cum utrique a veritate nimis abhorreant, sed ut magis magisque palam fiat quantas habere christianae Religioni gratias debeamus, quae certos bonorum ac malorum fines designavit, quod caput est philosophiae universae. Sane Tullius (de Fin. c. V. VI.) ipse affirmare non dubitavit, *eum, qui de summo bono dissentit, de tota philosophiae ratione dissidere. Hoc enim, ait, constituto, in philosophia constituta sunt omnia.... Cum enim, cognitis rerum finibus, intel-*

intelligitur quid sit et bonorum extremum et malorum; inventa vitae via est, conformatioque omnium officiorum. Summum vero bonum summamque beatitudinem in una virtute positam Stoici contendunt, et pro ea, non secus atque pro aris et focis, propugnant: nec posse sapientem, quamvis doloribus angatur, vel prematur inopia, vel, uno verbo, in Phalaridis tauro inclusus torreatur, miserum esse: ita ut *si fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinae*: e contra virtute carentem, quamvis Craeso ditior foret, omnique abundaret voluptatum genere non minus ac Thorius Balbus, et potaret in rosa, misera conditione torquere. Academici autem seu Peripatetici, ubi virtuti primas detulerunt, aliquid etiam corpori concedendum ad plenam absolutamque felicitatem putant, doloris vacuitatem, vires, valetudinem, atque alia, quae honesta corpus delectatione afficiunt, ut et inferior hominis pars hilaretur, dum animus virtutum splendore ac possessione fruatur.

Jam vero, utcumque inter se non parum distent Stoicorum Academicorumque sententiae, una tamen eademque utrisque quadrat refutatio: cum sibi unaquaeque sumat, quod falsum esse nemo vestrum ignorat, integram videlicet perstare in homine naturam, nihilque a prima mutatam, cui proinde parendum esse censuerunt. Quare cum jam labefactatam eam fuisse liquido constet, idque ab ratione et caelesti religionis testimonio doceamur, nihil nos movent quaecumque temere in gymnasiis philosophi garriant. Disputent igitur illi quidem, pedibus manibusque, ut dicitur, obnitantur, digladientur, sibi invicem succenseant, cum adversarios in suam non valent perducere sententiam: nihil boni elicietur, nihil proficient: veluti si de solis lumine quaestionem agitent oculis capti, magnaque contentione decertent. Quam in puero naturam mirabiliter occultam Tullius queritur, quid in homine ipsa velit, ac praecipiat, se intellexisse isti confidunt? Si animorum motus non omnes probandi sunt, quod nec ipsi inficiantur, nisi forte suum obtendant sapientem, quem omni vacare animi perturbatione fingunt; qua norma, qua regula,

par-

pravos ab rectis appetitus internoscunt? Quandonam in perfecto illo ipsorum sapiente ratio perfici poterat, ut naturae fidus interpres ejus invitamenta, ejusque vocem tam clare intelligeret, ut simulata veritatis imagine minime deciperetur? Nullum jam aliud hujusce rei argumentum proferam, nisi hoc unum ex ipsa philosophorum dissentione desumptum, qui omnes cum se probe a natura sentire ac disserere autumarent, magnificeque gloriarentur, maxime tamen dissonantia docuerunt. Quae cum sint, cui acceptam referemus, nisi Religioni christianae, normam, qua tanquam ad lydium lapidem, quae naturae primigeniae conveniant, quae adversentur, tuto dignoscamus?

Sed agamus liberaliter, demusque Stoicis virtutem, quam ipsi tantopere praedicant, quamque depereunt ab ipsa natura luculenter portendi: demusque Academicis virtutis illud additamentum, quod sensus corpusque leniat. Num continuo ex eorum schola sapiens beatus? nihil amplius expetet? summum se bonum consecutum putabit? Secum ipsi recolant, si qui sunt, qui nihil sibi ad perfectam absolutamque felicitatem deesse arbitrantur, secum recolant, inquam, quae Solon dederit Craeso documenta, qui, ut prodidit Herodotus, se omnium beatissimum appellabat. Sed testis est historia, testis quotidiana experientia, testis demum intima cujusque conscientia, neminem, cui licet otium, divitiae resque secundae affluant, beatum vere nuncupari posse, cum expleri et satiari nequeat innatum homini potiendi atque adipiscendi desiderium, fruendique appetitus. Illud tamen arcte teneo, magnum interesse, si aerumnis ambo conflictentur, sapientem inter improbumque discrimen; cum illum deleniat ac recreet, hunc vero deprimat atque excruciet conscientia factorum. Et sane Regulus nunquam Carthaginem reversus esset in cruciatibus moriturus, nisi praeclarae mortis species eum allexisset. At contra consulis securim libenter effugisset Catilina, cum turpis illum ob patrata scelera, infamisque exitus maneret. Æqualis fortasse utriusque corporis dolor, animi vero per quam dissimilis. Sed num propterea Regulus beatus? nihil minus.

Ete-

Etenim famae claritas, quae in ore futura erat posterorum, cum nihil aliud sit, quam levis quaedam atque inanis aura extra ipsum susurrans, qui, quaeso, animi angorem pelleret, laetitiam adduceret? Post mortem vero quo vade, quo sponsore sibi aliquid felicitatis promitteret, cum philosophorum praestantissimi vel dubitarent an corpori animus superesset, vel aperte negarent? Sed vereor hoc loco ne patientia vestra abuti videar, si ostendere vobis aggrediar, quae de virtutibus christiana Religio, quae de virtutum praemio tradiderit, quae uno verbo de bonorum et malorum extremo via et ratione divinitus constituerit. Quid plura? Illud generatim de antiquorum philosophia dicere est, quod de tectis Lucretius (lib. IV. v. DXVI.)

...... ut in fabrica si prava est regula prima,
Normaque si fallax rectis rationibus exit,
Omnia mendose fieri atque obstipa necesse est,
Prava, cubantia, prona, supina atque absona tecta.

An vero pravam regulam normamque fallacem secuti fuerint perveteres philosophi, ex iis, quae hactenus in medium attuli, satis, opinor, patet; quapropter vela contrahere tempus monet, atque ab alto tandem portum subire, ne quem vestrum longioris cursus fortasse pertaedeat.

Quis ergo non fateatur, plurimum philosophiae profuisse christianam Religionem, quae inanes commentitiosque Deos sustulit, quae unius Dei optimi maximi sapientiam potentiamque palam fecit hominibus, et quomodo coli ac timeri debeat ostendit: quae mundum aeternitate privavit, ejusque effectionem uni attribuit eidemque Dei voluntati: quae Casum et Fortunam ex causarum numero extrusit: quae augurum et haruspicum ineptissimas disciplinas, omnemque divinandi artem contemptu dignam et irrisione compressit: quae, domita perfractaque Fati dominatione, hominum mentes asseruit in libertatem: quae puros sanctissimosque legum fontes patefecit: quae sive divina referat, sive humanis propiora, jactis hac illac quibusdam quasi facibus, tutum iter ostendit, ne laeva mortalium mens in avia rapiatur: tum clau-

claustris, ut ita dicam, et repagulis quaedam viarum divortia praeclusit, ne, si temere ultra datos fines in rerum inquisitione vagetur, in erroris incidat latebras atque insidias: quae denique bonorum et malorum fines rite constituit, ne in persequenda felicitate aberret homo; quod ita ad philosophiam pertinere credendum est, ait Cicero, ut sit unum, quod philosophia spectare et sequi debeat. Quae cum ita sint, quid miremur ab recta philosophandi ratione declinasse multos hujusce temporis philosophos, cum ab ipsa jam Religionis norma, impie facta coitione, desciverint? Nonne, quod ego verbis argumentisque demonstrare sum conatus, factis ostendunt ipsi, Religionem videlicet christianam, caelesti luce longe lateque diffusa, sapientum opiniones et scita totamque philosophandi disciplinam emendasse atque illustrasse?

Nunc oro A. P. cujus in me voluntatem intelligo, et cum grati animi sensu recordor, ut quae a me utcumque dicta sunt, boni consulas: nam spero te, si minus dicentis eloquentiam non exquisitam neque elaboratam, consilium tamen, tantique rem ponderis probaturum. Vobis autem maximas et ago et habeo gratias, Auditores ornatissimi, qui inornatum atque indisertum oratorem dicentem patienter audire et sustinere, quam philosophiae, bonarum artium atque ipsius Religionis causam et patrocinium deserere maluistis.

SONETTO.

Fratelli fummo, e faticammo insieme
Nel divin campo con eguali auspici
O sterpandone i bronchi, o ne gli aprici
Solchi gettando de la vita il seme.

Or non più. Te Dio chiama a le supreme
Del sacrosanto Libano pendici
D'altri cultori a compartir gli uffici,
E d' altra messe a suscitar la speme.

Signor, vanne securo. Al tuo cospetto
Quell' omaggio fraterno or si rinnova,
Che al buon Giuseppe in visione apparse.

Ma d' invidia non già, di gioja obbietto
A noi tu se'; che di veder ci giova
I manipoli nostri al tuo piegarse.